

qui in caelestibus sedet, & ab Angelis adoratur, & ad immortalem est potentiam.

Et lib. 3. de sacerdotio.

O miraculum, o Dei benignitatem, qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertrectatur, ac se ipse tradit volentibus ipsum accipere & complecti.

In serm. de Eucharistia: Reputate salutarem sanguinem quasi è diuino & impolluto latere effluere, & ita approximantes puris labijs accipite.

In serm. de pass. Ipse Christus ornat & consecrat mensam hanc. Non enim homo est, qui id quod proponitur, faciat corpus Christi & sanguinem, sed ipse Christus, qui pro nobis crucifixus est. Sacerdotis ore verba profertur, & Dei virtute consecrantur, & gratia: hoc verbo, quod dicit, Hoc est corpus meum, ea, quæ proponuntur, consecrantur. Et sicut illa vox, Crescite & multiplicamini & implete terram, semel quidem dicta est, sed omni tempore sentit effectum ad generationem operante natura: ita & vox ista semel quidem dicta est, sed per omnes mensas